



3265. III. B. a.

V3256



Franz Anton Wagner del.  
Elias Christ. Heils Sculp. Aug. Vind.

Quinque Omina, Omnia Augustis Neo-sponsis auspiciatissima

REGIUM  
MAJESTATIS, ET AMORIS  
EPITHALAMIUM,

Augusta inter Omina

Collegij

Labacensis

Omnia Hymenæo Austriaco Auspicatissima

Socis Iesu

PROPOSITUM,

Catalogo inscripto

E T

AUGUSTIS NEO-SPONSIS

JOSEPHO I.

ROMANORUM, HUNGA-  
RIÆ<sup>q</sup>, REGI CORONATO,  
ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c.

Anno

A C

1724.

WILHELMINÆ  
AMALIÆ,  
DUCI HANNOVERANÆ,

D U M

Augustis Dexteris jungerentur,

Profundissimâ Adgeniculatione

DICATUM

A P. ENGELBERTO BISCHOFF, è Soc. JESU,

Anno


VIVant AVgVstI IosephVs A MaLLia sponsI  
Quo acclamare libet, & licet :  
Inter proLLiferos, a Vrlf LVósq Ve DlEs!

1699

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Apud Susannam Christinam, Matthæi Cosmecovij, Sac. Cæs. Majest. Typographi Antlici viduam.  
authore Magistro Philippo Hoffetter Soc. JESU.





**AvgVſtIs neo-sponsIs  
 IOSEPHO  
 gerManlæ, hVngarIæqVe regI,  
 Vero VniVersæ eVropæ DeLICIo,**

Et

**AvgVſtæ regInæ AMaLIæ,  
 DVCI hannoVeranæ  
 fortVnata VIta, paX, Vbertas!**



*N Communi hac applaudentis Europæ letitia, inter festivas Chri-  
 stiani Orbis acclamations, inter Solennes Romani Imperij, Austriæ-  
 què plausus, inter accensas Austriaci Hymenæi tædas, ac personan-  
 tes undiquè Nuptialis Famæ tubas liceat & mihi Servorum infimo  
 Vestris pedibus affuso in Epithalamicas effundi aggratulatio-  
 nes Augusti Neo-Sponsi. Quid nî enim jubilem in tanto bonorum omnium*

80

jubilo, ut hic primus Augusti Vestri Connubij, ultimus verò Sæculi hujus Annus jam dici possit Jubilæus. Extra culpam tamen audacie his pagellis Augustos Vestros obtutus subeo, ac in meæ presumptionis excusationem id unum adduco: quod Clementissimus Vester in me immerentem favor mihi vocem non oppresserit, sed expresserit, Ipsaque mihi Suada persuaserit: ut hoc exile tenuitatis meæ Opusculum Augusto Vestro gratiarum Throno, Thoroque substernerem, & in publicum devotissimæ meæ in Vos observantiae anathema submississimâ Veneratione appenderem. Dùmque Augusto Vestro Nomiñi angusti mei ingenij lucubrationem inscribo, Nuptialia quædam Omnia omnia Regio Vestro Hymenæo auspiciatissima non animo premere, sed Calamo promere constituo. Si facultas animo meo Regiis Vestris gratiis obstrictissimo responderet, struerem Augustis Vestris Majestatibus illustre virtutis, Honoris, ac felicitatis templum: ponerem auro, argentoque fusas Majorum Vestrorum secundissima semper Conjugia celebrantium statuas: In Regias Vestrarum Cœlo sese miscentes triumphales arcus erigerem: in Columnis incolmis Vestri Connubij diuturnitatem, felicitatemque adumbrarem: ex pretiosis demùm Erythræi maris unionibus, ac peregrinis novi Orbis floribus Nuptialia Serta nece-rem, & amplissimam Virtutum Vestrarum panegyrim contexerem. Verum Majoribus hæc molimina relinquo ingeniis, calamis, ac ærariis; verba duntaxat marmoris, ac statuarum loco, & paucula hæc folia pro lemniscis, ac obeliscis substituo; quibus jugem in Conjugio sospitatem Augustis Neo-Sponsis spondeo, solitam & solidam Regij Thalami felicitatem auguror, & fœcundam Posteritatis Regiæ successionem ominor, quæ Augustos Filios, & Filiorum continuam in seriem Nepotes non modo progerminabit, sed orbi propemo- dūm Universo Cæsares, Reges, ac Principes suppeditabit. Lætare proin, felix Austria! & Augustas Cunas appara! Videbis paulò post, & lætaberis Regiam Mensam ab Augusti Josephi Prolibus tanquam à Novellis Oliva- rum

rum in Circuitu Coronatum iri , & Augustam Sponsam instar vitis abundantis in lateribus Domus Austriacæ daturam progenies in utramque solis domum extendendas. Lætare Augustissima Domus Austriaca, Orbis Domina, & gentium Regina ! quæ in Hæredes ex hoc novo, fœcundissimóque Thoro nascituros Majorum Tuorum facinora, Sceptra, Coronas , ac Purpuras derivabis , & per fortunatum hoccè Connubium Augustam Tuam Familiam , Regnorūmque fines sinè fine ampliabis. Lætare Auguste Neo-Sponse Rex Josephe ! qui inter varias Europæ Heroinas Eam Tibi præ reliquis in Throni Reginam , & Thori Sponsam delegisti , Cui singularis pietas, sapientia , & spes fœcunditatis suffragaretur. Quam non gemmis, sed verbis , non Calamistro , sed Calamo exorno : Habebis enim Auguste Rex Optimam in Hac Consorte Sortem ; habebis in Hac desponsa Tibi Sponsa Religione Clothildem , Innocentiam Daphnidem , Majestate Helenam , Abigaëlem Prudentiam , Pulcheriam Sapientiam , Juditham Fortitudine , Eudoxiam Regiam Posteritate , ac Cumulatam donorum omnium exaggeratione Pandoram. Habebis Reginam , Cui pro Gynecæo amplissimus famuletur Regiarum Virtutum Comitus ; Cui Generis splendor , & morum candor tanquam gemini Paranyphi assistant ; Cui pro dote integerrimus sit in Augustum Conjugem amor , in Regem fides. Habebunt in Illa , pauperes Elisabetham , Clementissimam Patria Matrem , Regnum denique Universum delicias suas. Veritatis pariter , ac virtutis hoc suffragium , non blandientis Calami lenocinium est. Plura in præsens differerem , ni fastidium longiori pennâ procrearem ; hinc ut verbis sim brevis , Augustis Neo-Sponsis à bonorum largitore DEO animitus exopto : ut Augustus hic Hymenæus stabilem secum advehat Reipublicæ tranquillitatem , Imperij Pacem , Ungariæ quietem , prosperitatem , ac fœcunditatem Austriae ; ut Eodem Maritali annulo , & Augusti Connubij fides , & Regnorum fortuna obsignetur : in instructo Regali Thoro Spes Patriæ requiescant : Augustis Neo-Conjugibus aurea vitæ stamina .

*pro Parcis ducant Charites : Nuptiales demùm Corollas Serenissimi Posterritatis flores contexant. Quæ dum toto animo, & Calamo Augustis Vestrīs Majestatibus voveo, Vobis me totum quantum Servorum minimum, cum minima nostra Iesu Societate Sacratum volo.*

# **Augustarum Vestrarum Majestatum**

*Humillimus, aeternumque Devotissimus Capellanus*

**Engelbertus Bischoff, S. J.**



Omen Primum  
Genethliacum  
Ex  
Augustissimis Augusti Regis Josephi Primi Natalib,  
Et  
Natalitio Leonis Sidere  
Depromptum .

# OMEN GENETHLIA CUM.



Estinum stringo Calamum,  
 Quo  
 Festivum perstringo Genethliacum.  
 Cui  
 Fama tuis tubis accine,  
 Tuásque calamo alas adde,  
 Ut secum ferat in orbem,  
 Orbi natum orbis delicium,  
 Augustum Regem Josephum;  
 Quem tot Regnorum suspiria,  
 Tot populorum desideria  
 Adeò ferventibus votis, & vocibus  
 E' Cœlo sibi donari efflagitârunt,  
 Ut tandem tantis precibus tantum Orbis Christiani  
 Pretium sit obtentum.  
 Sic supplicanti Austriæ Cœlum annuit;  
 Quæ dum flexit Cœlo Genua,  
 Cœlum flexit in sua vota.  
 Anno  
 Post natam in terris Vitam  
 Millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo  
 Josephus Primus nascitur,  
 Et cum Eo simul Austria renascitur;  
 Dum Viennæ Cordi Austriæ  
 Datum est Cor novum  
 In Neo-nato Josepho Principe.  
 Julii Cæsaris mense natus  
 Propè Augustum futurus Augustissimus;  
 Imperatorios fasces jam præfagiit in fasciis,  
 In prætextâ jam dignissimus purpurâ.  
 Vis absque involucris, quid sentiam, edifferam?  
 Hic magnus in Cunis Hercules Austriacus  
 Ab Austriaco Jove genitus  
 Stabit aliquandò felix ad Clavam,  
 Et sedebit ad Imperii Romano-Germanici clavum.  
 Omen duplicitis Imperii nempe Asiae, & Europæ  
 Fuerant aquilæ Magno Alexandro Regi Macedoniæ;  
 Quod omen natum,  
 Dum nato Alejandro binæ Aquilæ  
 Culmen Natalitiæ Domus insedere.

Quis hoc non ominetur Augusto Regi Josepho?  
 Quem in Augustissima natum Aquilarum Domo  
 Ipsa Gratia mundo dedit,  
 Ut mundo præsit.  
 Sacer quippe Divæ Annæ (quæ gratiam sonat) dies  
 Et Augusto Josepho Natalis, & Austriae hostibus fa-  
 talis erat.  
 Sic benigna in Josephum fata conspirârunt,  
 Cujus gloriose factis semper aspirabunt.  
 Non incongruè sidus,  
 Quod præsederat tunc Zodiaco, fuerat Leo;  
 Hoc nempe ab Astro nasci debuit  
 Leo Austriacus Magni Leopoldi Magnus Filius Josephus.  
 Phidias statuarius, ut narrat Lucianus,  
 Totum ex indicio unguis leonem effinxit,  
 Unde proverbium:  
 Ex ungue Leonem.  
 Augustum pariter à teneris Josephum metire,  
 Quin potius spectator orbis admirare:  
 Qui pro Communi Regnorum bono  
 Apertis semper oculis excubabit ut Leo;  
 Probè gnarus:  
 Reges esse Regni oculos.  
 Sub Augusto Josepho felicior erit Germania Ægypto,  
 Hæc in Sceptris oculum habuit,  
 Illa Eum Regem habet,  
 Qui totus erit oculus,  
 Ad Cujus unicum nutum movebitur Imperium.  
 Natura papaverum Capitibus Coronam imposuit,  
 Oculumque Coronæ inseruit,  
 Illustri Principibus documento:  
 Ipos Gubernantium somnos esse vigilias.  
 Ipsi Primigenia diei aurora,  
 Dum Augustum Regem genuit,  
 Serenissimum Austriæ solem attulit.  
 Non parit Cœlum Austriacum, nisi sidera;  
 Tot protulit Europæ Soles, quot Cæsares,  
 Tot Reipublicæ luces, quot Duxes,  
 Tot primæ magnitudinis lumina, quot Pignora.  
 Nemo in his nævos inquirat,

Nec ullam livor ipse maculam configat,  
Qui dum invidet, nihil videt;  
Nec solem inficit,  
Quem maligno halitu afficit.  
Augustæ faces Austriacæ sunt sinè fumo,  
Luminaria sinè umbra,  
Fixæ stellæ sinè errore.  
Oriuntur semel, nunquam occidunt,  
Sed toti collucent æternitati.  
Lucent Austriaci adhuc omnes, & omnium virtutes  
In *Magno Leopoldo*,  
*Leopoldus* cum omnibus in *Josepho*.  
In hos duos Augustos omnium oculi defigantur,  
In quibus omnes Austriaci designantur.  
Cœlum sit monoculum  
Uno Sole contentum,  
Ego duos in terris conspicio,  
Dum in *Augustos Leopoldum*, & *Josephum*  
Oculos conjicio.  
Cum Orientem Te abundè peroro, solem adoro  
*Auguste Rex Josephus*;  
Qui Originem trahis à Sole  
*Augustissimo Genitore Leopoldo*,  
Quem vel ideo *Duplo Sole*

Fulgere confirmat Anagrammatismus,  
Quod sibi parem genererit;  
Cujus lucem nulla unquam eclipsis obscurabit,  
Cujus fortuna retrogradi cancri signum non intrabit.  
Timeat ab occasu noctem,  
Qui non adorat hunc solem Orientem.  
Vive igitur Serenissime Sol Austriace,  
Et cresce usque in perfectum diem:  
Fluant Illustria *Tibi* semper lustra:  
Vive tot annis, quot expeditus es votis,  
Ut nascereris:  
Servent *Te Superi*,  
A quibus Terris concessus es:  
Ament *Te Populi*,  
Quibus datus es:  
Sequantur *Te Serenissimi Posteri*,  
Quos daturus es.  
Id superest:  
Ut Superi subiecto Chronico Programmati annuatim,  
Et  
Deducto exinde Chronologico Anagrammati  
subscribatis.  
Quibus voveo:  
Ut quam diutissime luceat in Cœlo Austriaco

*Programma Chronographicum.*

*IosephVs I felICIsIMVs neo-sponsVs, patrlæ, atqVe orbIs  
VtrIVsqVe sIDVs!*

*Cui respondet Anagramma Chronologicum:*

*Anagramma Chronologicum.*

*Iosephe VI s? VInCIs. DesponsatVs qVI s crls? faVstVs.  
IMperabls VtrIqVe soLo.*





Omen Secundum  
Etymologicum  
Ex

Augusto Regis Josephi Nominе.  
(quod Accrescentem, et Augmentum Sonat:)  
Deductum.

# OMEN ETYMOLOGICUM.



Elix Omen!

*Augustum Josephi Nomen.*

Nullum *Tibi* melius elogium scripsero,  
Quam cum *Tuo Te Nominē* compellavero,

*Auguste Rex Josephe;*

Qui proprio *Nominis Etymo*

*Augmentum sonas, & Incrementum.*

Benè Austria! benè Germania!

Benè spera Religio Orthodoxa!

*Augustus Augustissimi Primogenitus Filius*

*Accrescens Josephus*

Ut vitæ momentis, sic vestris emolumenis  
Crescit, & multiplicabitur.

Qui cum crescere nequeat Natalibus ab origine  
Maximus,

Crescit virtute, ac felicitate,

In Orbis Christiani *Augmentum*,

Hymenæo multiplicandum.

Vix hoc augmentum pro Supremo votorum apice  
Accesserat Austriæ,

Illicò creverunt cum *Josepho accrescente Hæredita-*  
*riæ Provinciæ*,

Cum Provinciis triumphales palmæ,

Cum palmis triumphalibus Religio,

Cum Religione Christianitatis accessio.

Dicam amplius:

Arctatus anteà in Hungaria Deus

Divinum promovit imperium,

Quando *Josephus* cum annis adauxit suum;

Ut palam sit omnibus:

Austriacas vires nunquam crescere,

Quin crescat in terris potestas Dei.

Profectò divisum habet cum Jove Imperium

*Noster Augustus!*

Sic tamen partiendo regna non minuit, sed auget,  
Sibique accumulat, quæ Deo mancipat.

Somniarunt Veteres:

Uniuscujusque fortunam in Nōmine,

Tanquam nucleum in cortice contineri,

Omnémque in eo felicitatis seriem describi.

Faceant hæc putida Veterum commenta!

Melius nostra prognosis *Josephina felicitatis*

Evolvit Omen, dum legit *Nomen*;

Cujus verum Etymon

Quid aliud loquitur?

Quam perfectum Principum Archetypon,

Ad Coronas, & Sceptra cresciturum.

Binæ jam Coronæ Augustum Caput ornant,  
non onerant;

Decennis insignitur Apostolicā Hungariæ coronâ,

Ad quam Jus habuit à Sanguine suffragium à virtute:

Virtus quippe sola ad Solium nata,

Nullique melius incumbit corona Capiti,

Quam, quod antè suis meritis coronatum est.

Ut verò longius prospiceret utilitati subditorum,

Duodennis inscendit Augustum Imperij Thronum,

Inter succollantes populorum affectus,

Romanorum Rex effectus,

Et consentientibus in unum omnibus Principum  
suffragiis

In Germaniæ Solium elevatus,

Qui jam ante suffragia fuerat omnibus unicū votum.

Adeò ætatem mensus non annis, sed animis

Citò maturuit Coronis.

Pulcherrimo *Te Auguste Josephe* parallelo

*Josephus ille Ægyptius* expressit:

Cui somnus in fatidicum Actorem, & Auctorem  
cessit,

Illique suam sortem in prævia quadam vaticinii  
scena exhibuit,

Dum suum manipulum adorari vidit.

Tu verò in publica gratulantis,

Ac propemodum inspectantis Europæ lætitia

Incurvari *Tibi* fasces Imperii

Ab Octoviris aspexisti,

Ac incurvatos suscepisti.

Ast fronti, & menti tam Augustæ

Hæ binæ Coronæ sunt nimis adhuc angustæ;

Crescent plures cum animo Coronæ,

Ut animus cum annis crescit.

O Nomen! O Omen!

Bis Primus ex *Augusto suo Nominē*

*Josephus* I est:

Qui dum geminum II semper in Capite Sui Nomini præfert,  
Quid n̄ gemini Orbis Caput, & Primas erit?  
Has Principes Augusti Nominis Litteras  
Optimè dixero, binas Herculis columnas,  
Utrumque Orbem Complexuras.  
Tum enimverò Josephe Crescens  
Augusti Tui Nominis Etymologiam implebis,  
Quandò factorum gloriā hanc Augmenti Tui men-  
suras complebis.  
Vis plura? imò majora accipe,  
Et Nomen ex gestis, gesta ex Nomine conjice:  
Eousque crescat Augustus Rex Josephus,  
Ut Heroicis factis fastos, factis regna sit impleturus:  
Princeps enim magna audeat,  
Ut magnus audiat.  
Audiet Josephus voce populi Pater Patriæ:  
Ore Principum Cor Germania:  
Voce Austriae Majorum Compendium:  
Linguā Gentium Orbis Deliciam:  
Omnium Calculo Austriacus Macedo,  
Futurus Asiæ Domitor, & Dominator.  
Nomen, & Omen notate:

## REX IosephVs I, ArChIDVX AVstrIæ aVferet LVnaM.

Imò si Chronologicè Divinis è Litteris ominari liceat.  
orletVr In DlebVs elVs IVstItla, &  
ab VnDantla, DoneC aVferatVr  
ASlæ LVna. Psalm 71.  
vers. 7.

Quod faventes Superi ratum, firmatūmq; velint,  
Hoc Programmate:

### Programma.

*Ecce Sol mirum movet, & Luna mirè perit.*  
Cui respondet turca  
( Invitum cogente Deo )  
Anagrammate desumpto  
Ex Joannis Cap. 3. vers. 30.

Jungite  
Omnia  
Splendidus  
Elogiis  
Plausu  
Hæredes  
Visure  
Sæcula

Splendores,  
Votivis  
Habsprugo  
Plausus,  
Excussa:  
Superis  
Omnigenis  
Iosepho,



*Anagramma.*

Illum oportet crescere, me autem minui.  
Cresces, & multiplicaberis  
Auguste Josephē  
Non modò multiplici Diadematē,  
Sed etiam Augustā Prole.  
Ita non finē mysterio  
Magno Parenti Leopoldo Primo  
Succedit Accrescens Filius Josephus Primus,  
In Quo sit Omen Secundi.  
Rudolphum, Albertum, Maximilianum, Ferdinandum.  
Primos excepēre Secundi;  
Ita ominare Austria de Augusto Josepho, Sponsorum  
Fortunatissimo,  
Qui Primus cùm sit, non erit absque Secundo.  
Jam verò & reliqua,  
Quæ ex ipso Baptismatis fonte hausisti,  
Quid sunt Nomina,  
Nisi meræ felicitatis Omina?  
Eustachii Cervus veteres præsignat Imperatorum  
triumphos;  
Ignis Ignatii Augusti Tui Nominis splendorem;  
Jacobi Baculus firmitatem Imperii;  
Joannis gratia fore Tecum manum Domini.  
Princeps tandem Josephi Nomen  
Amplissima suimet panegyris est.  
Ingens elogium, unicum Josephi vocabulum!  
Quod cùm exprimere nequeam eloquio,  
Humili potius veneror silentio.  
Ne tamen inter Chartæ pallorem, & Sepiæ ni-  
gredinem  
Velut funeratum maneat,  
Cæletur in auro, insculpatur cedro, inseratur  
Cælo,  
Omniumque vocibus decantetur.  
Cùm ipsa prima Josephini Nominis elementa  
Omnium linguas exclamare faciant:  
Io Iosephe!  
Io Austria!  
Io Fama!  
Centum ora resolve,  
Et inter alia hoc Cephalonomasticon cane:

Insternte  
Offundite  
Sponsatur  
Echo  
Paternos  
Habiture  
Virtutibus  
Solatia,

Serta  
Vocibus,  
Hymen:  
Prognosticon  
Extensure  
Sinentibus  
Omina  
Iubila

Iosepho!  
Ostro  
Sociate  
Edet  
Penates,  
Hymen  
Vive:  
Sponso!



Omen Tertium  
Hieroglyphicum  
Ex

Augusti Regis Josephi  
Symbolo, Olifero Gladio,  
Cum Lemmate:  
Amore, et Timore  
Captum.

# OMEN HIEROGLYPHICUM.



Uc oculos,  
Si Spectaculum cupis,  
Huc animos  
Si miraculum velis.

Accipe  
Rem non minus auditu mirabilem,  
Quam lectu memorabilem :

*Amor, & Timor,*

*Olea, & Gladius,*

*Agnus, & Leo,*

*Benignitas, & Severitas*

Raro, & charo foedere sociantur.

Nullum hic paradoxum pango,

Sed veritatis oraculum pando :

*Augusti Regis Josephi*

Hæc imago est, & superscriptio;

Qui

Quod Symbolo gerit,

Factis exprimit :

Dum *Amorem, & Timorem* conjungit,

Quibus omnia conjunguntur imperia.

Hi sanè sunt duo Cardines,

In quibus regnorum incolumitas versatur;

Hi sunt angulares duo lapides,

Quibus imperii salus sustentatur.

Non tacendus hic Tacitus :

Qui jubet Principes, ut *Amorem* apud populares,

*Timorem* quærant apud hostes;

Geminum enim Principibus inexpugnable munimentum

Est *Amor Civium, & Timor hostium.*

*Augustus* igitur *Josephus*

*Amor Subditorum, Timor hostium*

Cùm suos amare malit omnes, amari meruit ab omnibus.

Timere cùm hostes nequeat, timeri debet.

Hoc maximè formidandus, quòd hostes non formidet.

Hinc cladem sentient hostes, salutem Cives,

Illi funera suorum, hi fœnora solitorum.

Legant hæc, & lugeant Barbari,

Timeant Lunati!

Qui lunæ suæ Cornua



Lunabunt Augusto Josepho in obsequia.

Spiret nova bella Turcica bellua,

De hac tamen ferâ triumphabit Austriaco ferro

*Augustus Rex Josephus.*

Insultet Sultanus,

Instruat feretra Tracica pharetra,

Totus licet armatus effundatur Oriens,

Ruetis tamen Barbari non tam in Occidentem,

quam occisionem,

Nec amplius pugnam inire ausi latebitis intra muros mures.

Imbellia quippe bella sunt, quibus Pietatem vult impietas debellare.

*Amoris Sui magnetismo*

*Josephus Augustus*

Ferream Ottomani portam trahet,

Et Martiali *Timoris* ferro evertet.

Divisum haētenus orbem

Hoc mutuo *Timoris, & Amoris* vinculo conjunget,

Ac Byzantinâ Constantini in urbe Christiana trophae statuet

*Occidentis, & Orientis Imperator.*

Id quod

Vel ipsa jam natura præsagiit,

Dum compresso tenellis labellis indice dígito

*Augustum Regem* nasci voluit;

Quo præsago naturæ portento, & minaci signo

Jam tum Orienti minabatur occasum.

Quod faxit Cœlum !

Plura spondet Regia *Augusti Josephi* tessera :

Cujus

*Amore, & Timore*

Regna stabunt in flore.

Nihil enim ad conciliandos subditorum animos

Potentius *Amore*,

Nihil ad continendos in officio populos

*Validius Timore.*

Media inter *Amorem, & Timorem* subditorum

Tutissima stat Majestas, & Corona Regum.

Quivis obtemperat,

Dum Princeps sic *Amorem* cum *Timore* temperat.

Ut probi sentiant aureum,

Improbi ferreum :

Nocet enim bonis, qui parcit malis.

Divinè olim Divinus *Plato*:

In regimine Optimatum optimum esse,  
Malos Timore vincere, bonos Amore vincire.  
Oliva suas frondes extendat virtutibus in asylum,  
Et ulti gladius vitiis intendat exitium.  
Exultet Pietas! contremiscat iniquitas!  
Junctis proinde manibus unà incedant Timor, &  
Amor

Unus altero temperandus:  
Ut Subditi Principem Amantem timeant, & Timendum ament.

Quò respicit Augustum Regis Josephi Lemma,  
Quod sit Programma:

*Programma.* Amore, & Timore.

Ex quo conficitur geminum hoc Anagramma:

*Anagramma 1.* Et Amore timeor,  
*2.* Et è Timore amor.

Ut indè discant, & dicant singuli:

*Augusto Josepho*

Subditorum Amori, hostium Timori, Regum Flori  
Imperium tam animorum, quām regnorum esse.

Qui Amore, & Timore impetrabit,

Quod imperabit;

Et Herculis instar Gallici

Aureis Amoris Cives, ferreis Timoris hostes  
Catenis trahet.

Optimus Timor, quem parit Amor,

Quo

Captiva tenentur subditorum pectora;

Optimus Amor, quem parit Timor,

Quo

Vel ipsa conciliantur hostium capita.

Ad stabiendam aliquando Monarchiam

*Augustus Rex Josephus*

Duo firmissima jam adhibet principia

Amorem, & Timorem,

Ilo adamantinis sibi vinculis omnium animos  
obstringet,

Hoc quo scúnq; Augustissimæ Suæ Domùs hostes  
constringet;

Ilo flectet, hoc plectet,

Animorum Victor & armorum.

Sceptro, gladioq; felix,

Invitus quidem bella suscipiet, sed semper invi-  
ctus conficiet.

Nunquam arma stringet ultricia,

Quin confusis & fusis hostibus referet vietria.

Non potest enim non cadere, quidquid debet  
æquitati causæ cedere.

Æque bonus ferri, ac ingenii acie

Triumphabit Marte, ac Arte.

Meliùs enim sèpè bellum consiliis, quām armis su-  
scipitur,

Securiúsq; Capite, quām dexterâ geritur.

Martia tamen Josephi virtus cum primis emicabit,

Dum contra Christianitatis hostes dimicabit,

Quibus Christianum robur semper erit rubori.  
Amore complexurus Occidentem,  
Timore Cæsar cæsurus Orientem,  
Non modò tumidam, faciet timidam tyranni-  
dem Ottomanicam,  
Sed suis quóq; pronam fascibus habebit debella-  
tam.

Hæc dum triumphaturo pariter, ac fœcundo  
Auguror Augusti Regis thalamo,  
Utor Historico Svetonii Calamo,  
Qui votis meis subscribit, dum ita scribit:  
*Livia è Julia Augustorum Familia*  
*Augusto Cæsari nupta*

Post Hymenæi statim festa hilariūs gesta  
Vejetanum suum prædium revisit, quod in deli-  
ciis habuit.

Ubi Gallinam albam fortuitò spectabat,  
Quæ lauri ramulum, ostro debitum, rostro gestabat,  
In quam mox Aquila prætervolans irruit,  
Et unà cum ramo laureo rapuit.

Ad solis regiam paulisper delata, & *Augustam Li-*  
*viam* humi cubantem speculata

Abreptam propediem Gallinam dimisit,  
Et in Augustæ Sponsæ gremium demisit.

Cumq; Gallinam lautè nutritri, lauriq; ramulum  
terræ inseri placuissest *Augustæ Liviae*,

Tanta pullorum soboles ex hac gallina provenit,  
Ut prædium illud ad Gallinas dein vocitatum fue-  
rit.

Lauri verò ramusculus terræ insitus in tantum lau-  
retum sensim effloruit,

Ut triumphantibus deinceps Cæsaribus triumpha-  
les semper laureas suppeditarit.

Faustiora nobis omina  
Sunt præsentia Hymenæi Austriaci hilaria:

Dum nova *Livia Wilhelmina Amalia*  
Viennam (quondam villam) advolavit,

Ibique non Gallinam ab aquila,  
Sed à Jove Austriaco, Aquilæ Dòmino

*Augustum Josephum* in Consortem accepit.

E' quibus *Augustis Sponsis*

Pro albæ Gallinæ filiis

In Orbem prodituri candidi Aquilarum pulli

Non solum Austriam recreabunt, sed universam  
propemodùm Europam felicitabunt;

Ipsaque triumphalium laurearum feracissima

*Augustissima Domus Austriaca*

In lauretum conversa

In laureatâ semper Progenie, ac Coronatâ Poste-  
ritate

Sit perennatura.

Utrumque hoc spondet *Regius* in subditos Amor, in  
hostes Timor.

Quid plura?

VIVat IosephVS! CIVes DItabIt AMore,  
HOSTIs LVnIgerI sVbVertet sIgnA paVore.

OMEN



Omen Quartum  
Epithalamicum

Ex  
Auspiciatissimo Augustorum Neo-Sponsorū Connubio  
Conceptum.

Quod  
Felix orbi Christiano,  
Romano Faustum Imperio, Austriacæ Domui Fœcundus,  
Ac  
Orthodoxæ Religioni Fortunatum.

# OMEN EPITHALAMICUM.



Ecundis Aquilis , & Alaudis Austriacis  
In vincula tandem itum est Nuptialia,

Extincta Bellonæ incendia

In faustas Regalis Hymenæi faces exarfere ;  
Castæque amorum tædæ armorum tædium at-  
tulere.

Cessit Maritali Martialis amor;  
Et quod miraculo par:

De Connubio vixdum inito nata Pax  
Præmaturæ fœcunditate Vtrumq; *Augustum Spon-*  
*sum* beavit.

Ut *Augusto Romanorum Regi*

Jam liceat gratulari  
Romano Computo :

Chronometrum Ordin-  
ne Romano designans  
labentem Annum.

Mars frenDens taCeat ! paX Cästo  
nVbIt In IgnI. Igni ablatus usita-  
tissimus.

O diem dierum Principem !  
Qui post feralem diuturni belli facem  
Tot votis exoptatam nuntiavit Pacem.  
O faustum Augusti Connubii Cynosuram !  
Quæ fluctuantem diu Communis felicitatis Ar-  
gonavim

Ad Regium *Josephi Thalamum*, velut littus optatis-  
simum

Cœlo duce deduxit,  
Et post longas belli inferias Pacis ferias induxit.

Dudum jam ardebant

Pro *Augusti Josephi Connubio* Austriaci Orbis  
desideria,

Quæ faustissimus jam complevit Hymenæus,  
Cum Divino favente Numine, congratulante  
Ecclesiâ,

Applaudente Imperio, exultante Austria  
Sacro Matrimonii vinculo in manus convenere

*Josephus & Amalia*,

Uno Conjugio bis Sponsi facti,

Quo Virtus Virtuti, & Augusti Conjuges jun-  
gebantur,

A quibus pariter Bona Fortuna domum ducebatur.

Regum Connubia Regnorum esse firmamenta  
Scriptores afferunt,

Vos probatis *Augusti Neo-Sponsi* :

Qui *Austriacam Domum* succollare cœpistis,  
Cui Christianus Orbis innititur.

Hinc Vestras non solum Manus,

Sed Principum, Regum, Cæsarum gaudia,  
Et populorum vota

Nuptiali Vestro annulo Coronatis,  
Eò felicius, quo Constantius,

Dum eodem adamante Conjugalis Vester Amor,  
Ac Regnorum felicitas ob-signatur.

Certa sunt hæc Austriae Nubentis omnia,

Dum recolit hæc Suavissima Nomina :  
*Josephus, & Amelia Sponsi*.

Cui Programmati  
Congratulabunda respondet Austria  
Hoc Anagrammate :

Anagramma O vel mea Spes in His posita !

Festivi Majestatibus Vestris affulgent ignes,

Quos à nova tæda Conjugalí

Ipsa nox in diem conversa concepit,

Et Vienna Caput Urbium (quia Caput Orbis habet)

In plausus accedit.

Sed his ignibus flagrantiores affectus

In cordium subditorum igniario

Excitavit amor.

Nemo Fortunam Vestram non amat,  
Nisi qui suam aversatur.

Nemo non precatur Optima,

Nisi qui pessimus.

Nemo non sperat maxima,

Nisi indignus, ut spiret.

Amores omnium rapuistis

*Augusti Neo-Sponsi*,

Jam Omnia Corda rapite, ac vota :

Quæ Vestrae Spei consonant,

Dum hoc ubique resonant.

Generatio Rectorum Benedicetur. Psalm. CXL. v. 2.

Surgens namque Imperii Aurora es

*Auguste Rex Josephus*,

Dature tot Soles, quot Proles,

Tot Reges, quot Filios,  
 Tot Reginas, quot Filias.  
 Nec solum Augustus eris ab augendo semper  
 Imperio  
 Parentis Cæsar Cæsar Filius,  
 Sed ab augendâ quoque per Augustam Sobolem  
 Familiarum Augustissimâ Domo Tuâ,  
 Quin imò  
 Pater futurus tot filiorum, quot Subditorum;  
 Quibus ut Matrem dares, quærebas Reginam,  
 Adlectâ in Throni, & Thori Societatem Amaliâ.  
 O Nomen ab ipso amore amandum!  
 Hæc enim in Hoc Sapientissimo Paridis Judicio  
 Judicata fuerat omnium Dignissima,  
 Cui Regale Imperii pomum offeratur;  
 Eique Regia Purpura deferatur.  
 Cui frontem, & mentem Verecundia purpuravit;  
 In Speculo namque frontis extat imago mentis.  
 Sed verecundatur suis laudibus verecundia,  
 Quam ne rubore suffundam, Calamum fistam.  
 Id tamen ausim dicere:  
 Quod Hanc Regalem Purpuram summo candore  
 Animi distinguat,  
 Ut Candida, & Rubicunda  
 Jam Vera sit Austriaca.  
 Pro Nuptiali Myrto  
 Haud opus est fertu,  
 Ipsa Sibi Corona est  
 Augusta Sponsa  
 Lectissimis Virtutum Ornamentis Condecorata,  
 Quibus Sponso Regi, Deoq; Regum Regi placet;  
 Nunquam magis Regina, quam cum Ancilla  
 Domini.  
 Quam singularis Pietas, & animorum Regina  
 Comitas  
 Meritò Regiam Augusti Regis Comitem fecit.  
 Tanto squidem Heroi Tanta debebatur Heroina!  
 Quæ Augusti Sui Sponsi Delicium,  
 Sanctique amoris Illicum  
 Tantum allicit affectu, quantum afficit aspectu,  
 Cum sit omnigenæ Virtutis Compendium.  
 Magno insuper Austriacæ fœcunditatis augurio  
 Hæc Regia Consors Regum Mater erit:  
 Dum novum Austriacorum Archiducum Alpha-  
 bethum  
 A prima rursum Alphabetti Littera  
 Auspicabitur Amalia.  
 Madane Astyagis Regis Filia Cyro nupta  
 Per Somnium sibi visa est vitem parere,  
 Quæ Asiam Omnem protensis circumquâq; pal-  
 mitibus obumbraret.  
 Simile vates non tam dico, quam prædico  
 Augusta Amalia.

Quæ sicut Vitis abundans in lateribus Domus  
 Austriacæ  
 Augustâ Suâ Progenie  
 Non Austriam solum, sed Orbem Christianum  
 implebit;  
 Cujus Fructus esse non poterunt, nisi Coronati.  
 AVgVstI sponsI IosephVs AMALIA  
 natIs  
 ADIVngant orbIs sCepta VtrIVs-  
 qVe sVIIs!  
 Omnium Ventorum facile primus Auster  
 Id laudis habet:  
 Quod agros fœcundet,  
 Et hortenses thalamos odorâ progenie fertiles reddat;  
 Quid aliud Cœlum sperare jubet?  
 Quam Angustos Neo-Sponsos  
 Austriacum Hortum novellis floribus,  
 Suamque Genealogicam Arborem tam copiosis  
 fructibus propagaturos,  
 Ut longitudine dierum repleti videant Filios Filio-  
 rum Suorum,  
 Usque in Senectam.  
 Accipe quid novum:  
 Duo ardent in Cœlo luminaria,  
 Quid Serenius?  
 Duo eadem in Conchâ candescunt uniones,  
 Quid candidius?  
 Duo sub uno nucis cortice dulcescunt nuclei,  
 Quid Suavius?  
 Duæ eodem culmo flavescunt Spicæ,  
 Quid fœcundius?  
 Duo Sacro junguntur Hymenæo,  
 Josephus, & Amalia,  
 Quid Augustius?  
 Ast cum cessen in amore numerus,  
 Non recte Duos appello,  
 In Quibus Duo Corpora unicâ spirant Animâ;  
 Ubi Cor Duorum unum,  
 Idemq; Voluntatum Consensus, & Mentium  
 Concentus est:  
 Siquidem

Exprimitur ordine  
modernus Annus  
M DC IC.

**AMata Donat Cor Iosepho Consors.**  
 Hic certè Poëta rem acu tetigit,  
 Dum ita cecinit:  
 Quam benè convenient, & in uno Corde mo-  
 rantur  
 Majestas, & Amor...



# OMEN

**O**MNIUM OMNIUM AUSPICATISSIMUM !  
 Dum enim nubunt *Augusti Neosponsi*,  
 Ipsimet nubit *Austria Felicitati*.  
 Non Manuum hīc tantūm nexus est, sed Gaudiorum;  
 Nec sola Gaudia fœderantur,  
 Sed comiti junguntur Perennitati.  
 Concordes *Josephi Nomini Sponsorum Dotes sunt*:  
 Crescunt semper, nec deficiunt;  
 Augentur, ut cum illis crescat *Austria Fortuna*.  
 Pande Augustos sinus Austria !  
 Vt Tuæ capias accessionem Felicitatis.  
 Vnum *Augusti Connubii vinculum*  
 Omnem *Tibi obligavit Fortunam*,  
 Omniaquè decora adstrinxit.  
 Quod munus dum obit,  
 In Gordium nodum abit,  
 Quem nullus Macedo dissolvet;  
 Nec hostile ferrum disrumpet.  
 Regnorum ingens Fulcrum est  
 Vicinorum Principum amicitia ;  
 Majus ego accessisse crediderim Germaniæ,  
 Cūm Nova Gratiano jungitur Pulcheria  
*Josepho Amalia*.  
 Sociatur avitis Regnis Felicitas,  
 Et aurea reviviscit Ætas,  
 Dum *Aurei copulantur Principes*.  
 Prima hæc Proles est Fortunatissimi Hymenæi,  
 Quam ponè Civium Gaudia, populorum solatia,  
 Regnorum Salus subsequuntur.  
 O felix Conjugium ! O Fœdus Fortunatum !

Arctissimus hic quippe nexus  
 Non arctat Provinciarum lætitiam, sed ampliat;  
 Non stringit fortunam Vrbium, sed coronat.  
 Hæc sacra Hymenæi vincula  
 Captivam ducunt Prosperitatem  
 In sinum Patriæ.  
 Non igitur Constantinos, & Helenas invidemus Romæ;  
 Non Eduardos, & Margaritas Britaniæ;  
 Non Henricos, & Cunegundas Bavariæ;  
 Non Wenceslaos, & Ludmillas Bohemiæ;  
 Dum in  
*Josepho*, & *Amalia*.  
 Velut gemino Luminari,  
 Dotes Omnia reluent.  
 Hinc ut *Augusto Phæbo*  
 Sua non desit *Phæbe*,  
*Augustam* Deus Austriaco Polo providit *Amaliam*.  
 Lucete jam *Augusta Sidera*,  
 In Auge Gloriæ constituta !  
 Lucete Natalium radiis *Austriae*,  
 Honorum luce Germaniæ,  
 Virtutum splendore Ecclesiæ,  
 Innumeris dotibus Orbi universo.  
 Non dies deficiat, quem accendistis,  
 Non lux decadat, quam auxistis,  
 Perennet gloriæ Meridies,  
 Quem Cœlo Patriæ invexitis.  
 Vmbras demum, quas Stylus hic fundit,  
*Serenissimis Vestris gratiarum Oculis* illustrabitis.





Collegij

# L U S U S EPITHALAMICUS.

Soc̄t̄is IESU Caball  
1724.

## IN ANNULUM SPON- SALITIUM.

**A**nule si jactes pretium, pretiosior en est  
Sponsus; si speciem, Sponsa venusta magis.  
Auro si certes, auro speciosior Ille;  
Si gemmā, gemmis charior Ista venit.  
Nulla tibi macula est, multò sed purior Ille;  
Rarā luce nites, clarior Ista tamen.  
Tu captas oculos, rapiunt at pectora Sponsi;  
Virtutes Illis mille, sat una Tibi.  
Tu solum digitos, Illi quoquè Regna coronant;  
Illi implet Orbem, te capit una manus.  
Augustas ergo cur Dextras annule poscis?  
Ornari à Sponsis annulus ipse cupis.

## IN INGRESSUM REGIUM.

**T**otus ad ingressum diffunditur Austrius Orbis,  
Ut revehat Regum par in amore pari.  
*Augusta Augusto Regi sociata Viennam*  
*Amalia ingreditur, Quam comitatur Honor.*  
Præcedunt læti cætus, Sponsosquè sequuntur,  
Festivos geminat Nobilis Aula sonos.  
Ambit Honor Sponsos, circumstant mille favores,  
Hinc plausus festi, hinc gaudia mixta sonant.  
Auro, argentoquè micant, chlamidesquè, togæquè  
Et currus, & equi multo adamante micant.  
Non litui desunt, non tympana, sistra, tubæquè,  
Non tormentorum Fulmina, Serta, faces.  
Non est vulgaris Pompa hæc; est, cerno, Triumphus,  
Victor in aurato torque triumphat Amor.

## IN PORTAS TRIUMPHALES.

**P**orta Triumphalis Neo-Sponsis trina locatur,  
Plus tamen utroquè in Corde triumphat Amor.

Sed quibus è lignis surrexit publica Porta?  
Nulla hic Cupressus, Myrtus ubiqùe micat.  
Quisque Triumphales audet transcurrere Portas,  
Portam Vnus Cordis sed penetrare potest.

## IN AUGUSTUM CONNUBIUM.

**F**oedera Connubij Josephus, Amalia jungunt,  
Stringit utrinquè manus has Amor, atq; Fides.  
Insuper Augustis spondet Spes maxima Sponsis  
Natos Natorum, Progeniemquè novam.

## IN EPULUM NUPTIALE.

**D**igna Diis mensa sed quis condivit Amicis  
Felices Epulas? credite, purus Amor.  
Jupiter Ambrosiam sineret, sua munera Liber  
Linqueret, ut mensis possit adesse novis.  
Non ori hic tantum, sunt & bellaria menti,  
Castus Amor, Cordis pignus, amica Fides.

## IN CHORUM GENIALEM.

**J**am Princeps Hymenæus adest, date Cymbala  
plausum!  
Concentus misce Musa, sonate Chori!  
Audimur! resonant Cytharæquè Lyræque; sed inter  
Has fides recreat maximè amica Fides.

## IN FESTIVOS IGNES.

**P**ronuba conde faces, Geminata & Lumina  
Juno!  
Tædas, & Flamas tollito, tolle focos.  
Quin & Nocturnam quoquè Sidera tollite Lu-  
cem,  
Et Tu Cœligenum tollito Phœbe diem.  
Lucernæquè, faces, & Lumina singula desint,  
Bina Diem plenum Sidera nostra dabunt.





Omen Quintum  
Imperiale

Ex

Fortunatissimo Augusti Romanorum, et Hungariae  
Regis Josephi  
Futuro Regimine  
Desumptum.

# OMEN IMPERIALE



Ltiūs calame jam eluctare,  
Celsiores scribas apices,  
Cùm nitaris ad Majestatis apicem.  
Non vulgare est, quod divulgas:  
Auspiciatissimum enim Gubernium exaras,  
Quod DEO Auspice quondam auspicabitur

*Augustus Rex Josephus,*

Dum fatigato aliquandò Atlanti succedet Hercules  
Ut Austriacum Cœlum fulciat, & Romanum  
Orbem sustineat.

In Throno *Augustus*, in Consilio *Facundus*, in  
Thoro *Fæcundus*

*Rex Josephus*

Majores Suos sequitur tempore, non gloriā,  
His par futurus gestorum memoriā,  
Non solum adorata Proavorum vestigia lecturus,  
Sed etiam sectanda Nepotibus relicturus;

Ut in *Uno Josepho* habeas

Compendiosam omnium Austriacarum Virtutum  
Epitomen.

In propaganda Religione Religiosissimus  
Non celat Zelum suum.

Sola quippe Religio Regum, ac Regnorum solidatio  
basis est;

Omniāq; Principi secunda, Cui prima de Deo  
Cura;

Nec solidius stare Solium potest,

Quām quod firmatur ab Eo, Qui firmamentum  
Solidavit.

Donet Princeps Deo Cor suum,  
Dabitque illi Deus Cor subditorum.

Sub *Augusto Josepho*

Ratio Status stabit solo Deo,  
Firmāq; Regnorum unio

Custodietur ut pretiosus unio.

Clementissimus pariter ac Justissimus Rex,  
Ut *Amore Clementiae*, sic *Timore Justitiae*

Suis Regnis præterit, ac proderit.

Adiri facilis, facilior exorari

Sæpè præcones Clementiae dimittet, quos mortis  
reos accipiet;

Sat effusum credens sanguinis, si supplicibus in

genas diffundatur.

Non semper Cœlum fulminat, cùm fulgurat;  
Cadunt Jovis fulmina paucorum iētu, plurimo-  
rum metu.

Nec minor ars est delicta corrigere Clementiā,  
quām Justitiā;

Pœnitentiā, quām poenā;

Verbo, quām verbere.

*Augustissimam Domum Austriacam*

Dum Cœlum posuit, Clementiæ aram voluit,  
In qua tot Clementium Principum Statuæ venera-  
tioni mortalium exponuntur,

Quot in Ea imperârunt, & imperabunt.

Paribus pariter utrinque momentis

*Augustus Rex Josephus.*

Librabit Justitiæ bilancem,  
Quæ justo pondere dat Cuique suum,  
Benemeritis prœmia, reis supplicia.

Princeps enim subditorum vitia sua facit, quæ  
non punit;

Nec Justitiæ laudem sibi vendicat, qui delicta  
non vindicat.

Astræa ubi terras reliquit,

Principes sui locò terris Numinis imposuit,  
Quibus suam bilancem, & gladium commisit,  
Ut gladium gerant in latere, bilancem in corde.

Genuinum Principis insigne

Imperialis est Aquila tam fulmine, quām Coronâ  
insignis,

Ut fulmina jaciat in malos,

Prœmia conferat in bonos,

Pauperesque pupillos tueatur, ut Justitiæ pupillam,  
Quos quisquis lædit, Justitiam offendit,

Ubi delicatissima est.

Admirandam in Consiliis *Augusti Josephi* sapientiam  
Jam hodie omnes suspiciunt,

Et responsa ut oracula excipiunt.

Adeò maturo Consilio librat omnia, ut Apollo,  
Et elimato decidit judicio, ut Romanus Cato;

Quod vel ipsa invita fatebitur invidia.

Arcanorum quoq; Consiliorum tenacissimus  
Princeps

Probè novit:

Consilia esse tuta , quamdiu tecta.  
 Optimè bombyx operatur , dum operitur.  
 Adesto Fama !  
 Mundum pervola & promulga  
*Augustum Josephum*  
 Antecessorum Gloriam , Posterorum Ideam ;  
 Qui Paternæ Virtutis , ac Felicitatis Hæres  
 Utramq; ad immortale nomen extulit , dum in se  
 transtulit ,  
 Ut ad Imperii semel Speculam evehendus , in Spec-  
 culum Imperantibus fit proponendus.  
 Adorabant populi Triumphatorem Pietate  
*Rudolphum I.*  
 Victoria , & Pace *Albertum II.*  
 Libro , & Gladio *Fridericum IV.*  
 Inconcussa Magnanimitate *Maximilianum I.*  
 Fortitudine *Alexandro Superiorem Carolum V.*

Candore , ac Constantiâ Ferdinandum I.  
 Religione , ac Pietate Ferdinandum II.  
 Probitate , & Justitiâ Ferdinandum III.  
 Nunc verò Consilio , & Industriâ  
 Antecessorum decora in Se Uno complexum  
*Leopoldum I.*  
*Augustissimum Progenitorem Tuum ,*  
 Quorum Singulos in Te *Auguste Rex* sibi reddendos  
 Auguratur Orbis  
*Augustis Tuis* habenis moderandus.  
 Hoc dum *Augusto Regi Josepho* gratulamur ,  
 Omnibus numeris absolutam felicitatem appre-  
 camur ;  
 Quam Cabalisticis Calculis subjicimus ,  
 Et ad omnes votivæ nostræ Arithmeticæ regu-  
 las computatam  
 Hoc versu certam statuimus :

## Sit Josepho Primo Hæres , ac vita , triumphi !

### Demonstratio Cabalistica.

S - 90	J - 9	P - 60	H - 8	A - I	V - 200	T - 100
I - 9	O - 50	R - 80	A - I	C - 3	I - 9	R - 80
T 100	S - 90	I - 9	E - 5	-	T - 100	I - 9
- E - 5	M - 30	R - 80	-	-	A - I	V - 200
- P - 60	O - 50	E - 5	-	-	-	M - 30
- H - 8	-	S - 90	-	-	-	P - 60
- O - 50	-	-	-	-	-	H - 8
- -	-	-	-	-	-	I - 9

199      272      229      189      4      310      496

### Summa

199
272
229
189
4
310
496

1699

### Clavis Cabale.

A	B	C	D	E	F	G	H	I	K	L	M	N	O	P	Q	R	S	T	V	X	Y	Z
I	2	3	4	5	6	7	8	9	10	20	30	40	50	60	70	80	90	100	200	300	400	500

Ex hac Summa conficitur annus

In dictorum hactenus omnium Ominum Epiphonema sit Epithalamicum ,  
 quod subjungo Poëma .




# CARMEN EPITHALAMICUM.

**A**ugustis Sponsis date jubila, plaudite gentes!  
 Vos Aquilæ primūm Latij fastigia mundi,  
 Tum trifidi Ungariæ colles, Boëmiq; Leones,  
 Quásque suâ virtute regit, defendit & armis  
 Austria semiDeûm Genitrix, date jubila gentes!  
 Jam de liminibus Divûm vota inter *Amori*  
*Majestas* sociata redit, sacrisque peractis  
 Jam redit *Amaliæ* junctus *Josephus* ab aris.  
 Austriaci plaudant! ipsum jam in gaudia cælum  
 Solvitur, æthereisque orbes melioribus ardent  
 Ignibus, exemplo subiectis signa daturi  
 Lætitiæ terris. Sed quas in jubila gentes,  
 In plausus quas quæro plagas? Germania quando  
 Nunc omnis resonat plausu, dum compita faustis  
 Vocibus implentur; famulis dum Rhenus & Ister  
 Undis ad Germana ferunt, & ad æquora Ponti  
*Desponsi* Austriadûm celeberrima gaudia *Regis*;  
 Marmoreæ quando moles sua culmina cælo  
 Miscent, luminibúsque suis exosa Vienna  
 Pallentes umbras gemmis succendit & auro  
 Æmula sideribus plaudenti gaudia turbæ.  
 Hungara mox tellus, Germanis addita Scepbris  
 Excipiens Charâ comitatum *Conjuge Regem*  
 Ingeminat plaudens: Deus Hunc, Deus æthere ab alto  
 Delegit mihi Tutorem, ultorémque meorum;  
 Lunigeram *Hic* gentem, atque impia bella moventem  
 Patris ad exemplum coget persolvere pœnas.  
*Hic* ruet in medios hostes, *Hic* prælia inibit,  
 Sic bellum, sic arma geret, victásque per urbes

Sic Sibi sternet iter, Victoris sistere cursum  
 Vis nulla ut possit ; post laurea prælia donec  
 Ipsa gravis spoliis ad mœnia Constantini  
 Proferat Imperium, firmètque Nepotibus olim  
 Venturis, Patriisque regat virtutibus Orbem.  
 Ergo cresce Josephe Oriens spes maxima mundi,  
 Auspiciis Superum, felici atque omine fies  
*Filius accrescens Joseph ! Sic Austria tellus,*  
 Sic & Regna vovent Patrijs subiecta lupatis,  
 Hanc aliquando suo *Regi* exoptantia Sortem,  
 Ecquis enim terris est *Magnum* post *Leopoldum*,  
 Quem sic Sceptra, aut quem Latium Diadema decoret?  
 Quis par Josepho ? Solum jam spirat Amorem  
 Nomen ; diligitur pariter, pariterque timetur,  
 Orbem ter felix recturus *Amore Timore.*  
 Te Solymæa manent nostræ monumenta salutis  
 Eripienda Getis, Te Rex ante omnia poscunt,  
 Ulricémque Tuam dextram ; Te Pontus & Hemus,  
 Thracia, Te Nilus, gelidæque Boristhenis undæ  
 Victorem aspicient, dictantem jura videbunt,  
 Christiadumque sacros ritus renovare per urbes.  
 Et Tu Hanoverani Lux fulgentissima Cœli  
 Austriaco conjuncta Viro, tantique per orbem  
*Consors Imperij : jam Te venerabitur Ister*  
*Nomen adorabunt populi. Jam Rhenus & Albis*  
*Serviet, in medios ibis Regina Sicambros.*  
 Quæ propior Sceptris facies ? quis dignior illo  
 Vultus erit ? non colla nives, non labra corallus,  
 Non oculos æquant Stellæ, violæque capillos,  
 Tota Deæ facies, Reginæ aptissima forma.  
 Vive, Tibi longæva Deus Connubia servet !  
 Sic Te, centuplicata petunt quod vota, Parentem  
 Excipient populi, Sobolésque simillima Patri,  
 Parvulus Austriades genibus confidat avitis.

Claudianus de Nuptiis  
Hon. & Ma.





Carmen hoc infinitum vocare placuit, non ex eo, quod infinitis constet pedibus, vel vicibus infinitis variari queat; quis enim id asserat? sed ex eo, quod illius dictiones tam multis vicibus aliter semper, & alter cum integra semper quantitate combinari possint, ut versus omnes homini mortali perlegere omnino videatur impossibile. Cum enim voces hic positae ( si varie transponantur, unaque cum retrogradis carminibus incipiendo ab hemistichijs ultimis, circà peripheriam hujus Systematis dispositis, & versus centrum progrediendo examinentur ) plusquam octies millenos, & octingentos millions carminum, ut patet ex aurea regula, cum integra semper quantitate confidere possint. Ac proinde Lector hæc omnia percursurus tribus millibus, & amplius annis vivere deberet, licet quovis minuto decem carmina, singulisque diebus per integras duodecim horas constanter legeret.

Effusum hactenùs in Epithalamicas aggratulationes calamum

In hoc Systemate nondum fisto;

Quid nì enim amplius exclamem,

Et

*Augustis Neo-Sponsis*

Nuptialem Dithyrambum acclamem?

Cum Chronostico ex initialibus solis litteris conflato:

Musa plaude Nuptialis  
 De bicolli vœta clivo!  
 Cude faustum læta metrum,  
 Lude tantis digna Sponsis!  
 Vincta suavi flore comptos Musa versus concine.  
 Verba puro fonte manent,  
 Vota Cœlum certa firmet!  
 V ita Sponsis ergò felix,  
 V ita triplo major ævo  
 V ernet inter Sceptra, lauros, inter & victorias.  
 Vota mundi, vota Cœli  
 V na sunt, ut dulcis Hymen  
 I am novellos, & tenellos,  
 I ámque multos, & serenos  
 I n thoro felice flores uberes progerminet.  
 I o sumat pleætra Phœbus!  
 I o promat metra Clio!  
 I nter alti tésqua Pindi  
 I nclytæ sonent Sorores!  
 I to Pæan, venit Hymen  
 I o felix, io Sponsis! io faustum Patriæ!

Plura non prosequor,  
 Quæ de Te non assequor  
*Regum Maxime.*

Scrutaturus enim Majestatem Tuam obruor à Gloriâ.

De qua

Tam Copiosum esset scribendi argumentum,  
 Ut necesse foret librum incipere, cùm jam debeat desinere.

Ut finis Coronet Opus,

In Te Coronato Vertice

Metam figit Epithalamium meum,

Quod non alium, nisi Te finem statuere potuit,

Qui illi fuisti Principium.





